



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

II. Itaque visum est inquirere accuratè ac diligenter in hanc materiam;
quæ valde nobilis est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

quod Gislebertus contra vestra scepra inutiliter gessit, valde doluimus, eo quod prisca consuetudo & regni nobilitas censuit ut nullus Episcopum ordinare debuisset absque Regis iussione. Necessitatem assensus regij aperte prædicat. Neque enim de nominatione electioni prævia intelligendum puto.

IX. Continuata est hæc potestas à sequentibus Regibus; ut fidem facit Artaldus Episcopus Remensis apud Flodoardum lib. III. historia Remensis cap. xxxv. qui se electum ait à clero & populo, dante illis Rodulfo Rege id agendi facultatem ad Dei honorem & sui fidelitatem. In Chronico Flodoardi anno DCCCCLXII. eligitur Odoricus ad Remensem episcopatum, favente Lothario Rege. Quam ob rem non dubitat Adalbero Remensis in decreto suo de reformatione cœnobij Mosomensis anno DCCCCLXXXIII. profiteri sibi episcopatum gratia Dei & benignitate regia contradictum. His addi potest apertum testimonium Gerberti in epistola LXXX. ad Verdunensem Ecclesiam: Pastorem tuum voluntate hereditarij Regis, (id est, Ludovici filij Lotharij) consensu & favore comprovincialium Episcoporum electum, ac insuper episcopali benedictione donatum, adhuc pertinax minimè recognoscis. Mox: Ideo Pastorem non recognoscis, quia Regem tuum regno privare moliris. Vnde colligi quoque potest Episcopos tunc persuasum habuisse, cum Regis assensu Episcopos provinciales, non expectata cleri & plebis voluntate, potuisse Episcopum eligere atque ordinare.

X. Initio tertia Regum nostrorum dynastia perseveravit prior illa consuetudo assensus regij. Quod testatur decretum electionis Arnulfi in Episcopum Remensem, factum ab Episcopis provincie cum omni clero, acclamante populo, orthodoxis Regibus Hugone & Roberto consentientibus, anno nongentesimo octuagesimo nono. Iidem Episcopi, post abdicationem Arnulfi, elegerunt Gerbertum, favore & convenientia utriusque Principis Domini Hugonis Augusti & excellentissimi Regis Roberti, assensu quoque eorum qui Dei sunt in clero & in populo.

CAPVT XVII.

Synopsis.

I. Ventum est tandem ad Tractatum de jure Regaliâ. Materia isthac omnino bene tractata est quoad quæstiones qua in foro occurrunt. Nemo tamen ejus juris originem hactenus affectus est. Referuntur in aversione varia plurimorum sententia.

II. Itaque visum est inquirere accuratè ac distictè.

ligenter in hanc materiam; qua valde nobilis est.

III. Pasquierius censebat difficile ostendi posse originem juris Regaliæ. Plurimum autem coheret ea investigatio ut agnosci possit quid statuendum sit in lite qua ab Agentibus generalibus in rebus cleri mota est pro asserenda libertate quarundam Ecclesiarum.

IV. Jus illud non successit in locum investiturarum. Diversum enim non est ab investituris.

V. Consilium operis explicatur.

I. **A**GENDUM itaque deinceps nobis est de jure Regaliæ, quod ea sit præcipua libri hujus scribendi causa. Et in antecessum quidem admonendus est lector eam materiam prorsus bene tractatam esse à viris perquam eruditis, quoad quæstiones quæ in foro occurrunt, de modis videlicet acquirendi & conservandi Beneficij juri Regaliæ obnoxij. Nondum tamen repertus est quisquam qui ejus originem affectus sit, neque ipsius vocabuli quo jus illud significatur. Id unum pertinaciter asseritur, jus Regaliæ ab ipsis regni initiis exortum, regia majestati connexum vinculis arctissimis, sive ita visum Episcopis in gratiam Clodovei Regis ad Christianam fidem conversi, ut placuit quibusdam; sive tandem quod ea auctoritas ita principatui competat ut necessarius non fuerit prævius Episcoporum consensus. Tum jus illud ideo Regaliam vocari, quod merè regium sit, & vel inter nobiles regie dignitatis partes recensendum, adeo ut cum soli Regi competat, cum nemine alio communicari possit, exclusis etiam ab eo jure iis penes quos sub Rege puero administranda Reipublicæ cura est, quos Regentes regni recepto jamdiu vocabulo nominamus. Eo enim tantum tendit eorum sententia qui materiam istam omnium accuratissimè tractaverunt.

II. Verum quoniam illi in limine subsisterunt, neque ad originem juris pervenire quod à suis haud dubiè initiis profectum est, cum tamen adeo illustre sit argumentum, ob dignitatem Regis & Episcoporum, quos ea res tangit, ut credi vix possit ita obscuram esse hanc materiam quin deprehendi possint hujusce juris initia & progressus, facturum me operæ pretium existimavi si in eam curam diligenter & accuratè incumberem, præsertim cum ex ea causa regnum & sacerdotium non semel dissociata sint, atque ad institutum meum omnino pertineat.

III. Deterrebat me tamen, fateor, ab ea investigatione viri clarissimi Stephani Pasquierij auctoritas, qui in suis illis Discussionum Francicarum libris adnotavit nondum à quoquam proditam fuisse origi-

G G g